34-5-A-11

DE VETERI INSCRIPTIONE
URSI TOGATI
LUDI PILAE VITREAE INVENTORIS
EPISTOLA
IOHANNIS CHRISTOPHORI
AMADUTII

PROFEſSORIS LITTERARUM GRAECARUM
In Archigymnaſio Romanae Sapientiae

AD CL. PRAESULEM

PHILIPPUM VALENTIUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE CIↃIↃCCLXXV.

APUD BENEDICTUM FRANCESIUM

PRAESIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

INSCRIPTIO

AD DIVI PETRI
IN VATICANO
PROPE SACRARIUM.

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAXIMIS CLAMORIBVS
THERMIS TRAIIANI THERMIS AGRIPPAE ET TITI
MVLTVM ET NERONIS SI TAMEN MIHI CREDITIS
EGO SVM OVANTES CONVENITE PILICREPI
STATVAMQVE AMICI FLORIBVS VIOLIS ROSIS
FOLIO QVE MVLTO ADQVE VNGVENTO MARCIDO
ONERATE AMANTES ET MERVM PROFVNDITE
NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CAECVBVM
VIVO AC VOLENTI DE APOTHECA DOMINICA
VRSVMQVE CANITE VOCE CONCORDI SENEM
HILAREM IOCOSVM PILICREPVM SCHOLASTICVM
QVI VICIT OMNES ANTECESSORES SVOS
SENSV DECORE ADQVE ARTE SVPTILISSIMA
NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TER CONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SAEPIVS
CVIVS LIBENTER DICOR EXODIARIVS

Digitized by Google

MONITUM.

Usque ab anno CIↃIↃCCLXIX. *edita fuit haec Epiſtola in Tomo* VIII. *Miſcellaneorum Lucenſium apud Ioſephum Rocchium ; dein vero recuſa eſt nonnullis additamentis locupletata, aſt multis inſuper foedata typographicis mendis anno* CIↃIↃCCLXXI. *in Tomo* XXI. *novae Collectionis Opuſculorum , quam , vita functo Cl. Abbate Angelo Calogerà ex Camaldulenſium familia , nunc Venetiis proſequendam curat Vir Cl. Fortunatus Mandellius eiuſdem familiae alumnus per Simonem Occhium typographum . Tertiis curis nunc tandem in lucem profertur , non ſolum typographicis , quibus ſcatebat , maculis expurgata , ſed aliquot etiam interſperſa additionibus , quae Auctori poſt ſuperiores editiones ad manus obvenerunt , quaeque nunc omittendae nullo modo videbantur .*

IOHANNES CHRISTOPHORUS

AMADUTIUS

CL. PRAESULI

PHILIPPO VALENTIO

S. P. D.

I. Quaeſiviſti a me, Valenti Praesul Clariſſime, quae ſane tua humanitas eſt, quid eſſet ille Lapis, quem eleganti elogio inſcriptum ad Divi Petri in Vaticano, in cuius Canonicorum Collegio merito recenſeris, nuper adverteras, & in quo Urſum Togatum, vitreae Pilae primum Luſorem multis celebrari laudibus deprehenderas. Monui te ſtatim, Inſcriptionem huiuſmodi iam ſaeculo XVI. ad Divi Petri effoſſam fuiſſe, anno ſcilicet CIↃIↃXCI. menſe Ianuario, Innocentio IX. Romano Pontifice, eamque Gruterium (1) ex Andreae Schottii ſchedis, nec ſatis quidem accurate, primum edidiſſe; deinde etiam Marcum Velſerium prodidiſſe denuo poſt *Monumenta Auguſtae Vindelicorum* (2), qui hanc Inſcriptionem ad ſe miſſam ab Abraamo Hortellio tradit, quae tamen & ibidem non omnino ad autographi fidem expreſſa eſt, quod praeſertim in eius exemplari (ut tibi cum apographo noſtro omni ex parte accuratiſſimo collationem inſtituenti patebit) particula NVNC in ultima linea poſt vocem CVIVS exuberet, quae abeſt a marmore, tum & EXORDIARIVS loco EXODIARIVS mendoſe legatur. Tum innui inſuper,

A 3 de

(1) *Inſcript. antiq. pag.* 637. *num.* 1.

(2) *Edit. Norimberg. ann.* 1682. *pag.* 404.

de eadem Inſcriptione rurſus ſermonem recurrere inferius ibidem (1), cum ſcilicet num. LXXXIII. habeatur Velſerii reſponſum ad Roberti Titii Bononienſis Epiſtolam, qui Urſum hunc non hominem, ſed feram cenſuiſſe apparet, quod ſane primum arriſit Velſerio, cui memoria ſuberat Aeliani (2) narratio de ſex illis paribus Elephantum, qui Romae, imperante Tiberio, inter ſpectacula prodierant, quandoquidem mares virili, feminae muliebri amictu ornabantur, ut proinde *Elephantes togati*, vel *ſtolati* & videri, & appellari potuiſſent; licet tamen Velſerius ipſe, priori reiecta ſententia, quod victus a Vero III. Coſ. Urſus hic diceretur, hominem potius protendi, quam belvam, inferius cenſuerit. Neque ſane tunc omnia tibi a me expoſita ſunt, quae ex Velſerio de hac Inſcriptione typis ſuperſunt; nondum enim videram ipſius *Antiquorum*, *quae Auguſtae Vindelicorum exſtant*, *Monumentorum Supplementum*, quod nunc mihi forte obventum tibi etiam communico, quodque iam editum a Iohanne Georgio Schelhornio inter *Amoenitates Litterarias* (3) conſulere poteris, quo in loco Velſerius ad inſignem Nicephori Gregorae locum, de quo dicam inferius; quique eſt de Praeſtigiatore cum vitreo globo varie ludente, commode provocat, tum & Andreae Schottii Epiſtolae fragmentum ad Iacobum Pontanum adducit, quod eſt de emendanda voce EXORDIARIVS, ut male editum fuerat, in EXODIARIVS, quodque ſimul eſt de huius vocis ſignificatione exponenda, atque inſuper addit alterum Abraami Hortelii Epiſtolae fragmentum ad ſe ipſum, quod eiuſdem vocis emendatio-

(1) *Pag.* 870.
(2) *Hiſtor. Animal. Lib. II. cap.* 11.
(3) *Tom. V. pag.* 129.

dationem ſuggerit. Tum hoc nunc addo, Inſcriptionem hanc a Matthaeo Raderio adduci in ſuo ad Martialem Commentario tertiis curis adaucto (1), & a Claudio Salmaſio in ſuis ad Lampridium adnotationibus, atque ad ipſam provocare quin etiam Octavium Ferrarium (2), & Petrum Burmannium ſeniorem ad Petronii Satyricon (3), de quibus infra denuo mentio occurret. Ceterum tunc ſimul me admonuiſſe memini, Inſcriptionem hanc ipſam memorari, & nonnulla eiuſdem verba proferri a Iuſto Lipſio in adnotationibus ad Senecam (4), tum etiam ex eadem nonnulla uſurpari a Samuele Pitiſcio in *Lexico Romanarum Antiquitatum* (5), quemadmodum eamdem Epigraphem exſtare quin etiam apud Petrum Burmannium ſignificavi, ex quo dein migraſſe innui in nuperam *Collectionem Pi aurenſem omnium Poematum* (6), quam Paſchalis Amatius Sabinianenſis Popularis meus, Vir Clariſſimus adornavit. Tandem poſt haec legendas tibi obtuli *Notas ad vetuſtiſſimam Urſi Togati Ludi Pilae Vitreae Inventoris Inſcriptionem Franciſci Mariae Turrigii Romani Canonici S. Nicolai in Carcere de Urbe* (7), quas primum ſeorſim editas dein recudit Graevius in *Theſauro Antiquitatum Romanarum* (8), & quibus ſane ea haurire potuiſti, quae & abunde ſatis tuae eruditionis ſtudium expleverint, & mihi cuncta confectandi, quae de hac Inſcriptione dici poſſent,

A 4 otium

(1) *Ad Epigramm. XIX. Lib. IV.*

(2) *Elector. Lib. I. cap. VII.*

(3) *Cap. XXVII.* (4) *Epiſt. LVI.*

(5) *Voc.* Pila Vitrea, *& voc.* Piliсrepus.

(6) *Tom. IV. Antholog. Latin. Claſſ. VII. Epigr. XIX. pag.* 481.

(7) *Romae apud Ludov. Grignanum* 1630. *in* 8.

(8) *Tom. XII. pag.* 403.

otium nunc ſecerint. Quare hinc mirari ſubit, Rodulphinum Venutium Praefectum Antiquitatibus Romanis τὸν μακαρίτην in deſcriptione Urbis (1) *Urſum* hunc *Togatum* confundere cum *Urſo Pileato*, qui eſt ad Eccleſiam S. Bibianae, ad Coemeterium nempe Anaſtaſii Pontificis, cui quidem Eccleſiae Tu ipſe, tranſactis annis, praefuiſti, dum inter Canonicos Liberianae Baſilicae adnumerabaris, atque Venutium ipſum temere quin etiam ad hunc ſecundum & Urſi noſtri Inſcriptionem, & laudatas Turrigii notas referre. Quamquam & locus alius Romae dictus ſit ad *Urſum Pileatum*, quem apud Baronium in *Martyrologio Romano* ante diem v. Nonas Octobris (2) una advertimus ſtatui Via Salaria, ubi Coemeterium Priſcillae, quod ſcilicet ad *Urſum Pileatum* in Libro *Romanorum Pontificum* ad vitam Innocentii ponitur; ac tertius tandem quoque exſtiterit, ubi Coemeterium Pontiani iuxta Viam Portuenſem, quod inſuper ad *Urſum Pileatum* dictum eſt, quodque poſt Boſium, Arringhium, & Panvinium deſcripſit M. Antonius Buldethius (3). Neque etiam nunc praetereundus videtur *Urſus Galeatus*, qui occurrit apud Thomam Reineſium (4) in Tabula, quae Acta publica dierum VII. anni Urb. conditae DLXXXV., Coſs. L. Aemilio Paullo II., & C. Licinio Craſſo, continet, & cuius exemplum exſcriptum, inter Schedas Ludovici Vivis olim repertum Iacobus Suſius communicavit Pighio, hic vero Anali-

(1) *Deſcrizione di Roma Par.* I. *cap. VII. pag.* 119.

(2) *Adnot.* (a) *pag.* 489.

(3) *Oſſervazioni ſopra i Cimiteri de' SS. Martiri Lib. II. cap. XVIII. pag.* 540. Vid. & Mabillonium *Diar. Ital. Tom. I. §. XVIII. pag.* 134.

(4) *Syntagma Inſcriptionum Claſſ. IV. num. II. pag.* 340.

nalibus ſuis inſeruit, additis quibuſdam notulis; ſiquidem haec ibidem leguntur :

IV. KAL. APRILEIS
RIXA . AD . IANUM . INFIMVM
IN . CAVPONA . ET
CAVPO . AD . VRSVM . GALEATVM
GRAVITER
SAVCIATVS

Ceterum Cl.Marchio Maffeius in *Arte Critica Lapidaria* (1) Actis hiſce dicam falſitatis impingit,ut proinde etiam *Urſus Galeatus* in multam ſuſpicionem adducatur.

II. Quoniam vero hic Pilae vitreae ludus, quo Urſus Togatus excelluit, novi quid protendit, quod primo quidem obtutu non facile quis aſſequatur, auctor mihi fuiſti, ut quid de hoc ludi genere mihi videretur, quidque animo conciperem, ſcriptis conſignarem, quod ſane Tibi praeſertim iuſta petenti minime negandum cenſui. Verum antequam Epiſtola haec mea, quaecumque ea tandem futura ſit, ulterius progrediatur, iuvat praemonere, ne a me veterum Scriptorum teſtimonia de hoc Pilae vitreae ludo exſpectes, quandoquidem cum Urſus noſter primus exſtiterit huiuſmodi ludi inventor, & auctor (dicitur enim VITREA . QVI . PRIMVS . PILA . LVSI . DECENTER) cumque ſe victum tandem fateatur a TER . CONSVLE . VERO, qui, ſi M. Antoninus Verus intelligendus ſit, fuit III. Coſ. cum L. Aurelio Vero anno iuxta Almeloveenii Faſtos CLXI., non autem anno CLXIII., ut Turrigius (2) cenſuit; ac ſi innui quis velit L. Aurelium Verum, tertium ipſe quoque Conſulatum obtinuit cum Quadrato anno iuxta Alme-

A 5 lovee-

(1) *Tom.I. Supplementi Sebaſtiani Donati ad Novum Theſaurum Inſcript. Cl. Ludov. Ant. Muratorii Lib.III. cap.IV. col.*468.

(2) §.25. *pag.*17. *Edit. Roman.* 1630.

loveenium CLXVII., minime vero CLXIX., ut notavit Turrigius (cuius ſingulae aliae ceterorum utriuſque Conſulis annorum deſignationes ad Almeloveenii ſeriem ſunt emendandae, quod me nunc facere non praeſtat) cumque demum hoc in Lapide inter ceteras alias anterioris quidem aetatis Thermas memorentur Thermae Traiani, in quibus hunc ludum Urſus primus edidit, facile colligere eſt, oleum, & operam perdere eos omnes, qui Senecae, ac Statii teſtimonia, & ſi quae ſunt alia huiuſmodi, quae & nos infra adducemus, ad huius ludi pleniſſimam illuſtrationem, qui poſteriori aevo inventus eſt, corradere nituntur. Neque etiam, quod noverim, apud veteres Graecos Scriptores aliquid proſtat, quod ad Pilae vitreae ludum quoquo modo pertineat; quamquam a ſequiorum ſaeculorum Graecis etiam Scriptoribus ludus hic apud Graecos ipſos recentiores deſignatus fuerit, ut nuper innui, & inferius etiam dicam loco. Novi ſiquidem quatuor tantum diverſos Pilae ludos apud veteres Graecos recenſeri a Polluce (1), qui ita ait: Ἡ δὲ τῆς σφαίρας παιδιᾶ, ὀνόματα εἶχεν· ἐπίσκυρος, φεννίδα, ἀπόῤῥαξις, οὐρανία. *Pilae autem luſus nomina habebat; epiſcyrus, phennida, aporrhaxis, urania*; quorum ſingula genera Pollux ibidem exponit, & latius etiam explicat Iohannes Meurſius, ubi *de Ludis Graecorum* (2). At nullus eſt eorum, qui quid commune habeat cum pilae vitreae ludo, ut cuilibet, cui Pollucem conſulere vacet, patere poteſt. Tandem ne ego hebes ingenio ſum, qui non videam, quomodo Fabrettinae Inſcriptionis *Pilarius* (3), qui Hadriani Auguſti tempore vixiſſe videtur, tum etiam

(1) *Lib. IX. cap. VII.*
(2) *Vol. III. n. V. Edit. Florent. Clariſſ. Ioh. Lamii.*
(3) *Inſcript. Antiq. cap. IV. num. II. pag. 250.*

etiam quomodo *Pilarii* illi, *Ventilatoreſque* ex Quinctiliano (1), ſive ψ φοκλίσται, aut ψηφολόγοι Graecorum, ſive *Calculatores* medii aevi apud Latinos cum Urſo noſtro Pilicrepo conveniant, ut ſane convenire putat Vir ceteroquin eruditiſſimus, quem tu mihi nuper ſignificaſti.

III. Verum antequam ſententiam meam pateſaciam, quam, ceteris in dubium revocatis, moxque explodendis, neceſſe eſt exponere, profiteri non dubitabo, multum ſane auxilii ex antiquis Scriptorum teſtimoniis mihi etiam derivandum, quibus etſi adumbrari Pilae vitreae ludum non negem, non iis tamen hunc ipſum aperte innui, aut deſignari umquam potuiſſe, contendo. Quare primum proferam locum Plinii iunioris ad Apollinarem (2), ubi Balneolum ſuum deſcribens Pilae ludum in Thermis fuiſſe, luculentiſſime prodit: *Apodyterio* (inquit) *ſuperpoſitum eſt ſphaeriſterium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit*; quibus verbis id inſuper evincitur, exſtitiſſe in Balneis certum quemdam locum Pilae ludendae praeſertim, aliiſque quinetiam exercitationibus peragendis conſtitutum, quem *Sphaeriſterium*, ſeu etiam *Trigonem* appellabant; Τρίγων enim vel a triangulari figura, vel a ſitu ludentium, qui eo ordine ſtabant, ut trigonum, ſeu triangularem redderent, nomen accepit, ut & Pila ipſa *trigonalis* audierit. Quapropter cum Pila ludere conſueviſſent Romani, vel paullo ante Balneum, vel dum hypocauſta, & ſudationes caleſcerent, ad hunc locum propterea omnes confluxiſſe, patet, teſte Martiale (3): A 6 *Red.*

(1) *Inſtitut. Orator. Lib. X. cap. VII. pag.* 953. *Edit. Lugduni Batavor. anni* 1730. *Petri Burmanhii*.

(2) *Lib. V.*

(3) *Lib. XIV. Epigr.* 163.

Redde Pilam, ſonat aes thermarum, ludere pergis?

Virgine vis ſola lotus abire domum?

Inſuper in locum hunc ipſum accurriſſe etiam *Pilicrepos* conſtat, qui ſcilicet *Pila ludebant*, ut exponunt Gloſſae Iſidori, vel qui *Pilas crepabant*, aut *crepante Pila luſitabant*, vel qui *Pila crepitum faciebant*, ut aliis loqui placet, quod ſane idem ſonat; quidquid contra contendant Caelius Rhodiginus (1), Hieronymus Mercurialis (2), ceterique, qui Pilicrepos fuiſſe aiunt, qui ſphaeris pice oblitis, quarum meminit Vitruvius (3), curabant, ne ignis Balneorum extinguéretur., & quidquid etiam ſentiat Hadrianus Iunius (4), cui Pilicrepi ſunt Miniſtri Balnearii, qui *pilos* cum forficularum *crepitu* truncabant; quorum ſententias improbarunt praeſertim Lipſius ad Senecam (5), & Gevartius ad Statium (6). Eoſdem namque ad Balnea accurriſſe, ſatis iam prodit celebris Senecae (7) locus, quo varios clamores deſcribit, quibus ipſe ſupra Balneum habitans obtundebatur, quique ita ſe habet: *Si vero Pilicrepus ſupervenerit, & numerare coeperit Pilas, actum eſt*. Facile nimirum exiſtimo, Pilicrepos huc conveniſſe, ut iis, qui lotum veniebant, quique vel neſciebant, vel nolebant Pila ludere, ludi huius exercitio, mercede exacta, obleſtamentum ipſi praeberent, moraſque non iniucundas necterent, donec

(1) *Antiq. Lect. Lib. XXX. cap. 19.*
(2) *Art. Gymnaſtic. Lib. 1. cap. 12.*
(3) *Archit. Lib. V. cap. 10.*
(4) *Nomenclat. Octoling. voc.* Pilicrepi.
(5) *Epiſt. LVI.*
(6) *Silvar. Lib. I. Carm. V. verſ. 57.*
(7) *Cit. Epiſt. LVI.*

donec hypocauſta, & ſudationes caleſcerent. Turnebus (1) quidem eorum ludum in eo fuiſſe cenſet, ut, ſi in mittenda, & remittenda Pila plures, quam eſſent, manus, & vices, numeraverant, maximus excitaretur clamor ab adverſariis; niſi etiam illud probabilius, & intellectu facilius videatur, quod ad ſummam excellentiae laudem adipiſcendam tot dumtaxat Pilarum iactus numerarentur, quot fuiſſent ſine caſu, quod & hodie fit in *Pila*, ut Petronius (2) appellat, *ſparſiva*; quam ex *ſparſina*, ut antea legebatur, ita conformarunt Critici, a quibus tamen diſſentiunt laudati Salmaſius, Ferrarius, & Burmannius, qui pro *ſparſiva*, incognito Latinis vocabulo, *praſina* repoſuerunt, quam lectionem tuetur etiam Codex Tragurianus, ut proinde inter ceteras Trimalcionis lautitias etiam Pilae color non vulgaris eſſet, ſed praſinus, quam ob cauſſam etiam Lampridius omnes trigonales pilas vitrei coloris fuiſſe, id eſt viridis, & praſino affinis, exiſtimavit. Ceterum Petronius innuit, etiam deciduas pilas numeraſſe adſtantes, ſed id novo more, & per delicias Trimalcionis: *Alter* (inquit) *numerabat pilas, non has quidem, quae inter manus, luſu expeliente, vibrabant, ſed eas, quae in terram decidebant*. Quare hinc maxime fiebat, ut, dum datatim luderetur, & pilae deciderent, eaedem creparent, ac ſonitum ederent, cum id praeſertim in tabulatis peragerent; teſte Statio (3), qui de Balneo Etruſci ita loquitur:

> *Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata, crepantes*
> *Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat*
> *Aedi-*

(1) *Adverſ. Lib. VII. cap. 4.*
(2) *Satyric. initio.*
(3) *Cit. l. I. Silvar. Carm. V. verſ. 57.*

Digitized by Google

Aedibus , & tenuem volvunt hypocauſta vaporem ?

Quibus ſane verbis etiam oſtendit , tabulata illa , ubi pilae ludus edebatur , adſcita *Hypocauſto* , ſive *Vaporario* , ut vocat Cicero (1) ; ſicuti ex Plinio ſuperius novimus , *Apodyterio* , ſive *Spoliario* ſuperpoſitum *Sphaeriſterium* , locum ſcilicet , ubi pilae ludus exercebatur . Praetereo heic Domitii , & Franciſci Robortellii ſententiam de crepantibus pilis , quas ad columnam concavam uterque traducit , cum ſententiam hanc ſcite refellat Gevartius in Adnotationibus ad hunc ipſum Statii locum , quem adduximus .

IV. Aſt teſtimonia haec omnia veterum Scriptorum , ac praeſertim Senecae , & Statii , quae ad hoc Urſi monumentum illuſtrandum adduxerunt Velſerius , & Lipſius locis ſupra citatis , non ea quidem ſunt , quae ad rem noſtram nunc omnino pertineant ; quandoquidem (praeterquamquod *Pila vitrea* nullibi adumbratur , nedum memoretur) vidimus , Urſum hunc noſtrum , qui primus Pilae vitreae ludi inventor praedicatur , aetate multo poſteriori , ſi tempora conferantur , floruiſſe ; ac propterea id ludi genus , quod , ut ex laudato ſuperius conſulatu eruitur , anno CLXI. , vel CLXVII. edebatur , citatis modo Scriptoribus , Senecae nempe , qui obiit anno Chriſti LXV. , Neronis XII. , & Statio , qui ex H. Dodwellii rationibus denatus eſt anno XCVI. , Domitiani poſtremo , innoteſcere nequaquam , veluti in anteceſſum , potuiſſe , quorum nunc proinde teſtimonium , aut auctoritas ad eiuſdem ludi exponendam rationem , ac modum acciri in auxilium poſſit . Ceterum non inopportuna prorſus , aut intempeſtiva eadem haec teſtimonia exiſtimabit , qui per-

pen-

(1) *Ad Q. Fratrem Epiſt. I. Lib. III.*

Digitized by Google

pendat, ex ipſis ſaltem id erui, ut Urſus hic noſter Pila vitrea ludens in Thermis rite ſit ſtatuendus, nec ipſe alio nomine a ceteris veterum Pilicrepis differat, quam quod vitrea Pila, quam nemo antea noverat, primus omnium uſus fuerit; quod ſane adeo certum eſt, ut Urſus ipſe etiam *Pilicrepus*, ut ceteri, in eius elogio ſalutetur. Quomodo vero hunc ludum Urſus ediderit, recte, mea quidem ſententia, exponit Turrigius loco laudato (1), dum ait: ,, Hunc ,, quidem ludum arbitrantur doctiores fuiſſe huiuſmo- ,, di, ut adeo diligenter, tantaque dexteritate Pila ,, vitrea luderetur, ut nullo pacto huc illuc agitan- ,, do frangenda eſſet,,. Neque etiam illud inveriſimile videri poterit, Urſum noſtrum Pilam, quam ipſe omnium primus vitream invexit, cum antea ex lana conſutam, vel infarctam pilis, aut ſetis (ni etiam ſolem fingere lubeat) Ludiones uſurparent, in altum proiectam ea dexteritate agitaſſe, ut ipſam modo hac, modo illa manu, modo digitis tantum, modo antrorſum, modo retrorſum, aut millenis aliis ſimilibus rationibus, quae Ludionibus familiares ſunt, magno quidem adſtantium plauſu, & admiratione, expelleret, exciperet, regereret, ac quidem citra ullum ſive caſum, ſive iacturam, in quo tum praecipua huiuſce ludi difficultas, quam vitri augebat fragilitas, & elaſticitatis defectus, tum potior etiam Luſoris laus omnis ſita eſſe debuit. Aſt vide, quam mire huic tum Turrigii, tum mei quin etiam iam praeconceptae, ac tibi quoque coram voce deſignatae circa huius ludi rationem ſententiae congruat eiuſdem certe ludi deſcriptio, quam apud Nicephorum Gregoram (2) indica-

(1) §. 12. *pag.* 9. *edit. Roman.* 1630.

(2) *Hiſtor. Byzant. lib.VIII. cap X.* §.*IV. Tom.I. Edit. Pariſ. pag.* 215., *&* *Venet. pag.* 174.

dicavit deinde utrique noſtrum, ac legendam obtulit Praeſul eruditiſſimus Iohannes Diazius Guerra pro Regno Caſtellano Romae XII. Vir ſlitibus iudicandis, nunc vero Maioricanus Epiſcopus, quaeque tamen mihi quin etiam nuper citata obvenit in *Antiquorum, quae Auguſtae Vindelic. exſtant, Monumentorum Supplemento* Marci Velſerii, ut ſupra monui? Sic enim ſe habet: Ἕτερος δ᾽ ἐξ ὑέλου σφαῖραν ἔχων, ἄνω πρὸς ὕψος ἐῤῥίπτει, καὶ κατιοῦσαν νῦν μὲν ἄκρῳ τῷ τῆς χειρὸς ὄνυχι ἐδέχετο, νῦν δὲ τῷ ὀπισθίῳ ἄκρῳ τοῦ ἀγκῶνος, νῦν δ᾽ ἄλλως, καὶ ἄλλως. H.E. *Alius vitreum globum in altum iactabat, & relabentem nunc extremo manus ungue excipiebat, nunc poſteriore cubiti parte, nunc aliter, atque aliter*. Scilicet ibidem Gregora in eo eſt, ut deſcribat varios Funambulos, aliosque Aegyptios Circulatores, qui, multis regionibus pererratis, Byzantium venerant, quique ſane longe diſſiti ſunt ab aetate Urſi noſtri; ſi quidem Gregora ſcripſit Libros *Hiſtoriae Byzantinae* anno Chriſti MCCCCLII., ut nihil cum Urſo noſtro commune habeant. Ceterum facile exiſtimo, haud diſſimili ratione eoſdem, ac Urſum noſtrum ludum hunc Pilae vitreae exercuiſſe, ut proinde ex hoc Gregorae loco magnum Inſcriptioni huic noſtrae lumen affulgeat. Neque vero mirari ſubeat, a Meurſio praeteritum hoc ludi genus in eius Tractatu *de Ludis Graecorum*, quem ſupra deſignavimus, ſiquidem facile eſt credere, non ſatis aetate ſua innotuiſſe Libros Nicephori noſtri, quos primus omnium Hieronymus Wolfius anno MDLIX. ediderat Auguſtae Vindelicorum; ut nunc praeteream, fieri haud poſſe, ut Scriptor, etſi eruditiſſimus, ac diligentiſſimus, in tanta librorum copia omnia ſcrutetur, ac luſtret. Quare hinc patet, multum a vero erraſſe Salmaſium, qui Pilam vitream aco-

a colore vitreo, ſive praſino dictam exiſtimavit, ac proinde recte eumdem oppugnatum a Ferrario, & a Burmannio, qui Pilam e vitro intelligendam eſſe contenderunt, ut ſcilicet huic ludi generi, quo excelluit Urſus noſter, ſua ſtaret novitas, & admirationis cauſſa. Sed nunc ad Urſum noſtrum redeamus. Quare tandem Urſus, qui primus hunc Pilae vitreae ludum invexerat (qui forte ex eo in Graecos manavit), nec cui erat, qui par eſſe poſſet, a Vero III. Cos., qui fortaſſe maxima manuum dexteritate pollebat, victum ſe confitetur; ſiquidem & viri clari, & illuſtres exercendi corporis, & animi laxandi cauſſa, ſtudioſiſſime Pila ludere interdum conſueverant, quod de Auguſto teſtatur Svetonius (1), de Mutio Scaevola Augure Valerius Maximus (2), & de Dionyſio Tyranno M. Tullius (3), tum de his omnibus inſuper Alexander ab Alexandro (4); & apud eum Tiraquellius; ut proinde haud etiam Verus Conſul (qui quis cenſeri poſſit, iam ſuperius expoſui) ad hoc ludi genus cum Urſo noſtro deſcendere non dubitaverit.

V. His iam abunde perpenſis, nemo non videt, tandem ſua ſponte fluere, Urſum noſtrum Pilicrepum, primum ludi Pilae vitreae inventorem, etſi aliqua ſaltem ex parte quid commune habeat cum veterum Pilicrepis, nihil tamen convenire (ut viro doctiſſimo, quem noſti, videtur) cum Praeſtigiatoribus illis, ſive θαυματοποιοῖς *miraculorum patratoribus*, quos Quinctilianus deſcribit his verbis (5): *Quo conſtant mi-*

racu-

(1) *In Aug. cap.* 83.
(2) *Lib. VIII. cap.* 8. *num.* 2.
(3) *Tuſcul. quaeſt. cap.* 20.
(4) *Genial. Dier. Lib. III. cap.* 21.
(5) *Cit. Lib. X. cap. VII. Inſt. Orat.*

racula illa in ſcenis Pilariorum , *& Ventilatorum* , *ut ea* , *quae emiſerint* , *ultro venire in manus credas* , *& qua iubentur* , *decurrere* ; quoſque apud Graecos ψηφοκλέπτας , ſeu ψηφολόγους , & apud Latinos inferioris aetatis *Calculatores* vocatos ſuperius innuimus ; nihilque praeterea Urſum noſtrum convenire cum P. AELIO . AVG. LIB. SECVNDO . PILARIO . OMNIVM . EMINENTISSIMO , cuius titulum protulit Fabrettius (1); Siquidem , ut ipſe , ac Petrus Burmannius cenſet ad locum Quinctiliani , Pilarii ii ſunt , quibus nomen factum a pilulis , ac ſphaerulis quibuſdam , quas dum proiicere videntur , ſub certis Vaſculis repoſitas oſtendunt , & rurſus ex uno in aliud transferunt , moxque evaneſcere faciunt ; Ventilatores autem Gallaeius , & Burmannius eos intelligunt , qui arma . & ſcuta ventilabant , quod innuit Martialis (2) , cum ait ; *& in toto ventilat arma bove* ; qua arte etiam excelluiſſe Agathinum quemdam , teſtatur idem Martialis (3) ſic :

Summa licet velox , Agathine , miracula ludas ,
Non tamen efficies , ut tibi parma cadat .

Quare ſi Pilicreporum munus perpendatur , quorum erat Pila ludere in *Sphaeriſterio* , ſeu in *Trigone* apud Balnea , ut ſupra vidimus , & ſi Urſi noſtri ludum Pilae vitreae eum fuiſſe advertamus , quem ipſe omnium primus invexerit , quodque Pilicreporum inſtar ediderit in Thermis Traiani , Agrippae , Titi , & Neronis , ut in eius elogio legimus , iam Pilicreporum ludos a Pilariorum miraculis , ſive praeſtigiis diver-

(1) *Cit. cap. IV. num. II. pag.* 259.
(2) *Verſ.* 32.
(3) *Lib. IX. Epigr.* 39.

diverſos fuiſſe , omnino patebit . His accedit , Pilarios *in Scenis* miracula ſua oſtentaſſe , ut ex laudato Quinctiliani loco didicimus , quod etiam innuit Martialis (1) , qui Agathinum laudans , quod Scena ſparſionibus theatralibus e croco dulci vino mixto facta lubrica ei non officeret , aut impediret , quominus artem praeſtaret , ita nimirum theatralem locum deſignat :

Lubrica Corycio quamvis ſint pulpita nimbo .

Quemadmodum idem quoque teſtatur Theophraſtus (2) , cum ait : Ἀμέλει δυνατὸς , ϗ ὀρχεῖσθαι νήφων τὸν κόρδακα , ϗ προσωπεῖον (οὐκ) ἔχων , ἐν κωμικῷ χορῷ . ϗ ἐν θαύμασι δὲ τοὺς χαλκοῦς ἐκλέγειν , καθ' ἕκαστον παριών . H. E: *Atque adeo non pudebit eum ſaltare cordacem etiam ſobrium , & in comico choro (non) perſonatum , & cum praeſtigiae ſpectantur , ad quemque ſpectantium adire , & ſtipem aeream exigere* ; Quo quidem loco etiam Caſaubonium adire praeſtabit . Tandem his omnibus addi poterit , minime fieri potuiſſe , ut *Pub. Aelius Aug. Libertus Secundus Pilarius* , quem laudat Fabrettius , quemque *Aelii* nomen , quo donatur , Hadriani , aut etiam M. Aurelii , aut Commodi aevo vixiſſe prodit , illud ipſum ludi genus ediderit , cuius Urſus noſter poſteriori aevo natus , tamquam inventor primus perhibetur .

VI. Neque quod Urſus *Exodiarius* dicatur , Mimum idcirco fuiſſe , umquam crediderim , ſicuti eidem doctiſſimo Viro , quem noſti , videtur . Praetereo ſiquidem varias *Exodii* , & *Exodiariorum* notiones , quas

(1) *Loc. cit.*

(2) *Charact. Ethic. cap. V.* περὶ ἀπονοίας *de vecordia* .

quas Turrigius (1) recenſet, tum Salmaſii (2) ſententiam, qui putat *Exodia* Atellanarum alia ratione dicta, nec in fine Fabularum fuiſſe introducta, & rem prorſus fuiſſe a Fabula ſeparatam. Omitto quin etiam allucinatum & ipſum veterem Iuvenalis Scholiaſtem (3), qui *Exodiarios in finem ludorum intraſſe* ſcripſit; cenſet enim idem Salmaſius, Scholiaſtem illum, dum ea ſcriberet, ad nominis rationem reſpexiſſe, quod nempe *Exodium* eidem fuerit finis, vel exitus, quo tamen initium ſignificari, mox oſtendam. Praetereo tandem *Gloſſaria Theotiſca* ex Schedis San-Blaſianis ſaeculi IX., quae poſt *Itinera Alemann.*, *Italic.*, & *Gallic.* (4) edidit Vir Cl. Martinus Gerbertius, nunc S. R. I. Princeps, & Abbas Congr. S. Blaſii in Silva Nigra, ubi haec habentur: *Exodiarius officii impoſitor*; *Exodium enim officium dicitur*; Quandoquidem ſi ſingulas ſententias expendere eſſet animus, nec cito, nec facile ſermoni finem quaererem. Quare potius diverſa via incedere praeſtabit, & cum Iohanne Iacobo Reiskio (5) ſtatuere, quod ſicuti nempe ex eo, quod introitus ad ſacra, ſeu initium ſacrorum ab Hymno fiebat, qui Hymnus propterea introitus ipſe quoque appellatur, ſactum fuit, ut Cantor, Hymnos ſacros in Eccleſiis inchoans, *Eſodiarius*, vel *Exodiarius*, ſive etiam *Eſſodiarius* diceretur, ſic pariter in ludicris non alius fuerit *Exodiarius* ipſe apud veteres, quam *Praecentor*, qui nempe cantum ante alios auſpicabatur; *Exodium* enim iuxta Iohannem de Ianua, quem citat Du-Freſneius

(1) §. *ult.* (2) *In Vopiſc. Aurelian. cap.* 42.

(3) *Sat. III. verſ.* 175.

(4) *Typis San-Blaſianis ann.* 1765. *pag.* 38.

(5) *Commentar. ad Caeremoniale Aulae Byzantinae Conſtantini Porphyrogennitae pag.* 32.

ius (1), eſt *initium cantilenae*, atque ab ἐξᾴδειν ſorte derivandum (nam particulae ἐξ in hac compoſitione eadem, atque in voce ἔξαρχος, vis ineſſet) ut proinde idem ſignificet, ac *rumpere vocem ante alios*. Si id non inficieris, iam & illud conſequi poterit, *Exodiarium* Veri Conſulis Patroni ſui *libenter* ſe *dicere* Urſum noſtrum, tamquam eius excellentiae, ac virtutis, qua eidem palmam in novo ludo a ſe invento praeripuerat; Praecentorem, ut ſcilicet tam libenter eius de ſe victoriam pertulerit, ut ipſe etiam omnium primus eiuſdem ſtrenuitatem fateri, ac praedicare, quin veluti epinicio praefari gloriam citra ullum vel invidiae, vel ruboris obſtaculum non dubitaverit.

VII. Haec ſunt, VALENTI Praeſul Cl., quae mihi tecum ſcriptis agere nunc licuit, ut tibi de Urſi Togati Inſcriptione morem gererem; tuum modo erit, qui ſoles meas eſſe aliquid putare nugas, hanc etiam ſcriptiunculam, craſſo licet filo, & properanter elucubratam aequi, bonique conſulere, quod ſi per humanitatem tuam, quam me tu iamdiu multis ſane in rebus abunde donare conſueviſti, aſſequi licuerit, erit, cur mihi placeam ſummopere, novoque me beneficio tibi devinctum profitear. Vale.

Datis Domi ad Theatrum Pompeii Ipſis Kalendis Septembribus anno a Chriſto nato CIϽIϽCCLXVIII.

P. S. Duae ſunt, ut noſti, veteres Inſcriptiones, quae habentur in Villa, olim Nobilia, nunc Spadia ad Portam Aureliam, in Colle Ianiculenſi prope Hortum Botanicum Archigymnaſii Romanae Sapientiae, quam tu nuper ad animi tui relaxationem, quam etiam cum Clariſſimo Praeſule Borgia noſtro & mecum quoque communem facis, conduxiſti. Prima Inſcri-

(1) *Voc.* Exodium.

Inſcriptio, cui ſuperſtant duo capita viri, & mulieris, ita ſe habet:

L. COMINIVS . ANTEROS
MINOR
CALPVRNIA . APOLLONIA
FECIT . SIBI . ET . SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVS . QVE
POSTERIS . QVE . EORVM

Altera vero eſt huiuſmodi:

D. M
SVLPICIA . SATVRNINA
FECIT . SIBI . ET . COIVGI . SV
O . ET . FILIS . SVIS . ET . LIBER
TIS . LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE . EORVM

Neutram quidem in magnis Collectionibus Lapidum antiquorum editam comperi, an forte alibi a quoquam utraque vulgata fuerit, (quod veroſimile haud eſt) ipſe ignoro. Ceterum praeter nuda nomina, & uſitatiſſimas formulas nihil inſuper eſt, quod adnotetur; Vetuſtas tamen etiam levia magna facit, & eruditae poſteritatis ſtudio commendat. De aliis duobus, quae ſunt in Hortis Barberiniis in eodem Colle Ianiculenſi prope laudatam Villam, ex qua in illos quidem itus facultatem obtinuiſti, quid inſuper quaeris? Eaſdem quidem exſcripſi, atque ita ſe habent. En prior:

DIS . MANIBVS
C. VARIVS . EVTYCHVS
SIBI . ET . SENTIAE . CONIVG
SVAE . FECIT . ET . SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVSQ
ET . POSTERISQ. EORVM
ET . SOPHRONENI
DELICIO . SVO
VIXIT . ANN. X. MENS. XI

Hanc

Hanc refert Fabrettius (1), quem & conſulere poteris de *Delicio*, familiaris blandimenti vocabulo. Locum tamen Inſcriptionis nullum deſignat Fabrettius. De idiotiſmo redundantiae ET. POSTERISQ. exempla habes non rara in aliis etiam monumentis, ut proinde nil aliud addi nunc a me oporteat. Altera Inſcriptio a Fabrettio intacta relicta eſt, & eſt huiuſmodi:

H. P
DIS. M. S
PHOEBO. VIXIT. ANNV. I
MENS. III. DIES. XXVII. H. VI

Superne vero hoc in lapide adſtat puer ſiniſtro genu flexus, dextero elevato, tum & fune alligato, quo fune & ſiniſtra manus alligatur, dum funem ipſum utraque manu idem tenet. Quid hoc vinculi genere, ac modo protendatur, ignoro. Sigla H. P. *Hic. Poſitus* legi poſſunt. Horarum enumerationes perſaepe in tumulis occurrunt, adoleſcentium præſertim, atque infantium, quorum nativitatis tempus proximius, certiuſque exſiſtit, ut advertit laudatus Fabrettius (2); Licet & in ſenio, immo & in ultima, exactaque aetate id factum reperiatur, ut ex eiuſdem obſervationibus (3) deprehenditur. Haec inſuper addenda a me fuerant, ut hac in re etiam tibi ſatisfacerem. Iterum vale.

(1) *Inſcript. antiq. cap.I. num.*247. *pag.*44.
(2) *Ibid. cap. II. pag.* 96.
(3) *Ibid. cap. III. pag.* 181., *& ſeqq.*

FINIS.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

F. A. Marcucci Epiſc. Montalti Viceſg.

REIMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google